



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **B. Alberti Doctoris Magni ex Ordine Prædicatorum Episcopi Ratisponensis De Adhærendo Deo Libellvs**

**Johannes <de Castello>  
Albertus <Magnus>**

**Antverpiae, 1621**

Cap. LVIII. De exhumatione corporis Alberti, & qualiter repertum est non omnino consumptum.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-44148**

## CAPVT LVIII.

*De exhumatione corporis Alberti, & qualiter repertum est non omnino consumptum.*

**D**E inuentione autem vel potiùs transpositione corporis eius subiungentes, notandum est, quòd anno Domini M. cccc. lxxxiii. tertio Idus Ianuarij, altera scilicet die sancti Pauli primi Eremitæ, iussu Reuerendi Magistri Ordinis tunc Coloniae praesentis, videlicet Fratris Salui de Panorma, apertum est sepulchrum venerabilis Alberti ferreis instrumentis, quia facilis non erat accessus propter lapidem grandem superpositum. quo aperto in praesentia Reuerendi Magistri Salui praefati, ac Prouincialis Prouinciae Teutoniae, Priorisque Conuentus Coloniensis, sacrae Theologiae Professoris; necnon in praesentia Domini Rectoris almae Vniuersitatis Coloniensis, ac ceterorum Magistrorum Theologiae Facultatis, & multorum Fratrum, repertum est corpus quod quaerebatur. Sarcopha-

cophagus de lapide siquidem inuentus est, in quo tumba lignea continens venerabilis Alberti corpus terra cooperatum. Nam asser quo tumba ipsa clausa fuerat, consumptus fuit; nimirum quia sic ducentis & tribus annis cum corpore in terra iacuit. Sarcophago igitur vnà cum lignea tumba & corpore eductis in lucem, terra omnis per Fratres de tumba exponitur, corpore dimisso intacto; quod baculum Pastoralem habuit in manu, annulum de cupro in digito, sandalia in pedibus, & mitram Pontificalem in capite. Et cùm tanto tempore, vt dictum est, in terra iacuisset corpus venerabilis Pontificis, non tamen foetor aliquis de ipso exhalabat, sed odor suauis de illo emissus adstantes refecit. Sed quod mirabilius videtur, nec ipsum corpus omnino consumptum fuerat, quia materia oculorum in ipsis sedibus luminum vsque nunc perseuerat, & caro in mento cum particula barbæ similiter, atque vna auricula arefacta. Sed & humeri non omnino consumpti sunt, cùm etiam vnus humerus pro maiori parte integer est. Insuper & crura sunt, quibus caro adhærens

rens arida cernitur, pedesque cum ipsis sandaliis ossibus crurium inhærent, & totum corpus superius indissolutum quoad ossa & iudiuifum vsque hodie in eadem tumba iacet. In collo verò, vbi adhuc vna canna cernitur, quæ, vt puto, continuari solet pulmone, vel alteri membro vitali, dependebant hæc, videlicet particula de Cruce Domini, & denarius perforatus cum clauo Domini, atque vnum Agnus Dei de cera serico inuolutum: quæ, vt credimus, deuotionis gratia in vita portare consueuerat, cum quibus & sepultus est. Sic ergo hæc membra & nunc cernuntur, cum sit tamen quartus annus post sepulchri aperitionem. Et hoc quidem iustè omnipotens Deus in gleba exanimata Alberti fieri voluit, quia intemeratæ Virginis Matris hic Doctor in vita amator atque laudator singularissimus extitit, nec dubium & imitator feruentior.